






Tratados — 15

Hecho Indice Varios.

Indice

Prouinciæ Pisanæ Ordinis Sancti Augustini Electionis Prouincialis.



Eme, & Rme Dñe. Svpplicamus prò Sanatione, quia non est dubium quod Electio Admodum Reuerendi Patris Magistri Valentij de iure sit valida, sed dubium est vtrum sit nulla ob non exibitam fidem adimplementi onerum Missarum, qua stante dubitatione intrat de plano sanatio, quæ semper ex benignitate Sanctæ Sedis conceditur, quando in formalitate tantum peccatum est, vt communitèr monent Doctores, & præcæteris *Io: de Anania in cap. quod sicut, num.7. de Elect., Baldus in cap. nihil est num.17. eodem tit., Molphes. in Summ. Theolog. Moral. Tom. primo Tractat.6. cap.16. num.158., Lezan. Oper. Moral. Tom. primo cap.15. num.89., Castellin. de Elect. cap.4. num.45., Lauor. dicto tit.4. cap.21. nu.23., Sperell. decis.181. num.35., & num.56., Rot. coram Coccino decis.2021. num.28., & 29., & decis.2082. num. primo, & seqq.* Et hanc esse perpetuam, & inconcussam, inuiolatamque semper ad hæc vsque tempora consuetudinem, & praxim huius Sacræ Congregationis testantur *Card. de Luc. de Regular. disc.1. num.94., & seqq., & disc.11. num.12., Scopp. ad Cod. Fabr. tit.3. Explan.39. num.12., Matt. de Causis Concistorial. sect.20. num.44.*, ibi == *Verùm Sacra Congregatio, quando Persona electa est idonea, & defectus Electionis non inficit substantiam eiusdem Electionis, vel Iustitiam, rescribere solet prò confirmatione cum clausula supplentes.*

Quod autèm in Casu nostro dubitatio vertitur super huiusmodi nullitate liquet ex eo, quià licet Decretum Sacræ Congregationis Concilij sit clarum, *quod teneantur omnes, & singuli Superiores locales in Prouincialibus Capitulis, seù Congregationibus exhibere attestationem, seù fidem &c. ea adiecta, & omninò adimplenda conditione, quod antè præfata attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales prædicti vocem actiuam, seù passiuam in memoratis Capitulis, seù Congregationibus omninò habere non valeant.*

Attamèn cum Decretum loquatur de Prioribus Subditis Capitulo Prouinciali, vtiquè subintrat receptissima Conclusio, quod hoc Decretum loquens de Prioribus Capitulo Prouinciali subiectis, non compræhendit Priores Conuentus Generalitij, proùt erat noster Electus; Nàm isti Priores non sunt Subditi Capitulo Prouinciali, sed omnium eorum gestorum rationem reddere debent Patri Generali, cui immediatè sunt Subditi: Sicque in præsenti quæ-

ſtio noſtra non eſt, vtrum ſtante doloſa contrauentione intrat ſanatio, cum quo erroneo præſuppoſito pertranſit Pars Aduerſa, ſed eſt vt diximus vtrum in Caſu noſtro intrant dicta Decreta Sacræ Congregationis Concilij.

Et quidèm, vel credimus non intrare, vel ſi intrant certum eſt, quod ab iſto Caſu Extranei ſunt prorsùs termini doloſæ contrauentionis, quod autèm dicta Decreta non intrant, videtur ſuadere tàm Littera; quàm Mens Decretorum; Littera ſcilicèt dùm verba diriguntur ad Priores Subditos Capitulo Prouinciali ad effectum, vt non exhibentes dictam fidem debitis pænis coerceantur à Capitulo Prouinciali; proùt denotant illa proæmialia verba == *Curent proptereà præfati Superiores Regulares in omnes, & ſingulos contrauenientes debitis pænis animaduertere*, quæ certè ſupponunt exhibitionem faciendam coràm Superiore, qui debitis pænis poſſit contrauenientem punire, vndè illa verba ſubſequentia == *Et inſupèr teneantur omnes, & ſinguli Superiores Locales in Capitulis Prouincialibus exhibere atteſtationem adimplementi oneris Miſſarum*, debent intelligi cum eodem præſuppoſito ſubiectionis Superiorum Localium Capitulo Prouinciali, proùt regularitèr omnes Superiores Locales ſunt ſubiecti Capitulo Prouinciali à quo puniri, & coerceri poſſunt, & proptereà in Caſu præſenti dicta Decreta non intrant, quia nec Conuentus Florentiæ eſt ſubiectus Capitulo Prouinciali, nec Prior huius Conuentus poterat coerceri à Capitulo Prouinciali, dum immediatè agnoſcit in Superiorem Reuerendiſſimum Patrem Generalem.

Neque obſtat id, quod dicitur in contrario Reſtrictu §. *Cum etiam*, quod nempè in Bulla Innocentiana in §. *Prætereà* enumerantur Perſonæ, qui Patri Generali immediatè rationem reddere tenentur, nempè Prouinciales, Vicarij, & Viſitatores Prouinciarum, & proindè cum inter iſtos non recenſentur Priores Conuentuum Generalium, ideò dicit Pars Aduerſa, quod iſti Capitulo Prouinciali, & non Patri Generali tenentur reddere rationem, quia clara vrget Reſponſio, animaduertendo, quod ſicuti in hac parte Priores Conuentuum Generalium non exprimuntur, ità non exprimuntur in parte antecedenti, in qua paritèr nullum verbum fit de Prioribus Conuentuum Generalium, vnde in omnem Caſum hic erit Caſus ommiſſus, ſub generali diſpoſitione non compræhenſus iuxtà communem regulam, quod nulla Lex, ſeù Conſtitutio vìm ſortiatur in Caſu mixto, proùt videre eſt pænès *Ruin. conſil.*113. *num.*7. *lib. primo*, *Ciriac. controu.*258. *num.*13., *Cardinalis de Luca de Succeſs. ab inteſtat. diſcurſ.*16. *num.*19., *& ſeqq.*, *Surd. deciſ.*174. *num.*14., *Rota deciſ.*458. *num.*26. *coram Bichio deciſ.*366. *num.*6. *part.*15. *deciſ.*7. *nu.*4. *part.*17., *& deciſ.*488. *nu.*9. *part.*18. *Recent.*, *& in Vitorbien. Manutentionis* 14. *Decembris* 1699. §.*Concurrente inſupèr coram R. P. D. Scotto*.

Po-

existentia dubitatur, necesse est quod Eminentissimi PP. omninò iniungant illius exhibitionem modo, & forma debita, nàm hoc sequuto sperat P. Valentius ex eo conuertere telum, aduersùs ipsum P. Simonem, qui vigore illius tempore sui Prouincialatus nihil peragendo, nec consignando suo successori, prout ad vtrumque tenebatur, vt firmaui in mea informatione circà finem, potiùs demonstrabit pœnas; quas ipse ex hoc capite mereatur, quam quod dignus sit memoratus P. Valentius de aliquo sub illius prætextu Notari,

Vltrà quod tùnc temporis ipse P. Simon, qui, vt dixi, erat Prouincialis, habuit à dicto P. Valentio Priore dicti Conuentus della Selua plures recognitiones de Pipionibus, & alijs, qui prætenduntur in specie deficere, vt aperte liquet ex illius Epistolis, eidem P. Valentio Scriptis in gratiarum actionem *presenti Summario Num.*3., & deindè eius gratitudinem, tùnc ostendit cum dicto Processu, & ostendit etiam modo resuscitando materiam, vel iam sopitam, vel ex illius facto nullius momenti recognitam, quia eo non obstante nil fieri potuit aduersus ipsum.

Et secunda quod dictus P. Valentius à dicto P. Simone, tùnc Prouinciali adeò impropriè tractabatur, vt eum obligauerit quasi ad dimittendum, seù renunciandum regimen dicti Conuentus della Selua, & cum fuerit scriptum Reuerendissimo P. Serano, de eo tempore Generali, vt eam acceptaret, ipse de hoc admiratus noluit condescendere, non obstantibus importunis instantijs desuper exaduerso factis, vt demonstrant eius Epistolæ, de quibus *præsenti Summ. Num.* 4., & hoc ipsum quoque confirmat illius irreleuantiam, quià dicti P. Generalis iam agnouit Causas adductas non esse ad hunc effectum sufficientes, *vt in eodem præsenti Summ. Num.* 4.

Et quoniam de eo tempore, iuxtà dictum Partis Aduersæ, iàm aderat de medio dictus assertus processus, qui supponitur compilatus anno 1702., aut de eo fuit scriptum memorato P. Generali, & sub illo prætendebatur fundari renuntiatio, aut non fuit scriptum. Primo casu intrat consequentia, quod ex eo nulla sufficiens causa resultabat, & non solùm ipse non valet modo obsistere in præsenti, sed potiùs habet ex oppositio Iudicium primarij Superioris, qui ipsum nullius momenti tacitè canonizauit; & secundo casu magis, magisque insurgit illius inefficacia, & irreleuantia, quià intèr causas insinuatas, primaria esse debebat illa quæ ex formali figurato processu resultabat, & dùm prætermissa extitit illius deductio, argumentum est nimis clarum, quod nullam prorsus reflexionem merebatur.

Quamuis hæc omnia dicta sint ex abundanti, quià de iure ad effectum repellendi Electum, requiruntur diffamationes adeò claræ, & conuincentes, vt notorie constat de delictis, ac criminibus Electi,

cti, iuxtà *Text. in Cap. cùm secundum in fine de hæretic. in 6. Gloss. in can.2. Verbo Infamia post princip. quæst.7.*, *& celebre Cons. Bursatt. 14. num. 18.*, *& sequen. volum primo approbatum à Farinac. de hæresi quæst.189. num.56. Garz. de benef. parte 7. cap. 8. num.10. Passarin. de Elect. cap.10. num.145.*

Merito idcircò de primo ad vltimum videtur locus instantiæ, quæ tendit prò substinendo Electo, qui in hoc statu prò suo decore, ac pro eius conuenientia hanc litem substinet; nàm de reliquo nulla in eo resídet ambitio gubernandi Prouinciam, cuius pacem, & tranquillitatem ipse semper concupiuit, & ex hac ratione inuenit contrarietatem, & odiositatem recurrentium exaduerso, cum quibus renuit semper ex hoc capite vniri.

Quarè &c.

Franciscus de Roggerijs Adu.
Augustinus Galaminus.


SACRA
CONGREGATIONE
Episcoporum, & Regularium
Emo, & Rmo D. Card.

GABRIELLIO

PONENTE
Prouinciæ Pisanæ Ordinis S. Augustini Electionis Prouincialis.

PRO
Admodum R. *P.* Magistro Valentio olim Priore Conuentus S. Spiritus Florentiæ Ordinis Eremitarum S. Augustini vltimo loco in Prouincialem Electo.

CONTR*A*
Admodum *RR. PP.* Magistros Florauanti, & Simonem eiusdem Ordinis.



Restrictus Responsionis Facti, & Iuris.

Typis De Comitibus 1709